

1189

P A T R I S T I C I

1190

CCCIII. *X. F. 14.*

499

Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 177. 4. currente calamo exaratus haec complectitur: I. *In nomine domini Incipit liber qui dicitur Pharetra.* Non illa quidem contra *Judaeos*, quam jam e variis *Codd.* indicavimus, neque illa *Doctorum*, quae teste *Fabricio* et *Mansio* secundum ordinem Alphabeti progreditur, sed illa, quam *Libris IV.* distinctam et inter *Bonaventurae Opera* in edit. *Lugd.* 1668. T. VI. p. 99. receptam primus *ἀνωνυμος* imprefit circa an. 1473. *Norimbergae Fridericus Creussner f.* cujus Exemplar tamen a nostro quibusdam in rebus abit, ut vel *Proemia* conferendo patet. Dabo nostrum: *In nomine domini sequens opusculum compilatum est de diuersis originalibus diuersorum doctorum. Et dicitur pharetra. quia sicut iacula in pharetra reponuntur quibus hostis hostem ferit. vulnerat et deicit. sic etiam hic varie auctoritates fide dignorum. Quae si manu fidei tenuerimus hostem antiquum procul dubio deiciemus. Distinguitur autem in IIII. libros. Primus dicitur de personarum varietate. Secundus de principalium viciorum et virtutum multiplicitate. Tercius de periculosis. Quartus de graciosis. Et primi duo libelli quilibet eorum continet L. capitula quia talis numerus iubilaei est figuratiuus. Reliqui duo unusquisque LXIIII. habet capitula. Paulo aliter *Impressa*, quae et Capitum numero et distribu-*

tionem variant. Caput postremum nobis initio plura, sine pauciora, quam *Impressa*, continet, id, quod pronissimum in *Opere*, quod non nisi excerptis *PP.* locis constat. *Gregorius M.* paene per totum *χορηγος* est. Ad calcem notatur minio: *Explicit pharetra fidei Datum anno domini MCCCCLXXVII. Finitus est liber in die sancti arnolphi.* Vide et *Cod. DCXC.*

II. *fol. 134.* absque titulo Exemplorum de Virtutibus et Vitiis variis congeries, quae primo ad Numerum C. progressa rursus a I. incipit et sistit in XXIII. Initium: *Quidam papa in honorem gloriose virginis capellam fecerat, in qua due lampades cotidie ardebant &c.* Omnia ad Seculi sui genium.

CCCIV. *VIII. D. 2.*

Codex membraneus lat. Sec. ²⁶³ XIV. Folior. 175. f. per duas columnas sat nitide scriptus continet *Excerpta ex variis PP. Operibus* hoc ordine: I. Congeries ex *Anselmo Cant. Hilario, Augustino, Hieronymo, Basilio &c.* de Deo, Trinitate, Statu Angelorum, et primorum Hominum, de Gratia et libero Arbitrio, de Operibus sex Dierum &c. Initium: *Ansel. in libro de concordia prescientie et liberi ar. Quere longam auctoritatem in tractatu de prescientia &c.* Materiae speciales per Marginum notatas et hic et in toto reliquo Codice adcurate indicantur.

Ffff 2

II.

II. fol. 30. Excerpta ex Ric-
bardi de S. Viatore Libris de
Trinitate. Initium: Rerum noti-
ciam ni fallor modo triplici appre-
hendimus &c.

III. fol. 35. p. 2. Excerpta si-
milia ex Libris Augustini de civi-
tate Dei. Initium: Terrena ciui-
tas. que cum dominari appetit. ip-
sa ei dominandi libido dominatur
&c.

IV. fol. 39. p. 2. Excerpta si-
milia ex Job. Cassiani VII. libris
contra Nestorium. Initium: Mag-
nus honor. sed periculosu progres-
sio &c.

V. fol. 41. Excerpta ex An-
selmi Libris de Veritate, de Ca-
su Diaboli et cur Deus Homo.
Initium: Quoniam quidem deum
ueritatem esse credimus &c.

VI. fol. 47. in ora summa:
Liber magistri alexandri de fare-
well. ad magistrum magnum Ale-
xandrum nequam (Nechamum,
Neckham) de motu cordis. Prae-
fatio sic infit: Anima eo solo phi-
sice inquisitionis speculationem ad-
misit. quod corpori unita est. Cor-
porata enim quedam sui indicia sen-
sibus offerens sibi seipsam inuesti-
gandi curam iniecit. Et postquam
de Corporis et Animae nexu ul-
terius egregie philosophatus ef-
fet, prosequitur: Huius ergo (Ani-
mae) primum et precipuum orga-
num (cor) cum eiusdem virtuti-
bus et operacionibus. nostris adhuc
ignotum intemptatumque philoso-
phis declarare institui. tuoque opus
ipsum examini maxime alexander
offerendum reuissime censui. cum
te et argute iudicandi de singulis

discretionem prouidam. et errata
corrigeni scientiam integram. et
ad utrumque exsequendum pronam
benignitatem habere non ambigam.
Neque te preter equum aut inde-
bite magnum alexandrum dici exi-
stimes. Si enim uesanus ille mace-
do cui ut ait Seneca pro uirtute
erat felix temeritas ob promptissi-
mam corporis strenuitatem hoc cog-
nomen accepit. quanto te illo in-
signiorem equius est. qui ob singu-
larem animi frugem. que quidem
omnes corporis dotes longe super-
greditur. nec modo supereminen-
tem. verum ex equo contendentem
nescis admittere. Quantum ille ar-
morum gloria contemporaneos suos
supergressus est. tantum tu omni-
bus animi et ingenii fulgore pre-
stitisti. Vale ergo et opusculum
hoc quantique est. ut tuum am-
plere. et in lucem si ita tibi ui-
detur prouehere. cum ipsum laborem
tuo potissimum instinctu. si memi-
nisti aggressus sim. Iterum et in
eternum vale. Opusculum jam ip-
sum Capp. XVI. constat, quorum
Lemmata adscribam: I. Quod vi-
ta sit primus effectus anime in Cor-
pore. II. Quod certum habeat in
corde vita domicilium. III. Quod
cor sit domicilium vite. IV. De
positione cordis. V. De instrumen-
tis motus cordis. VI. Qualiter fiat
motus cordis. VII. De causis mo-
tus. VIII. Quod motus cordis
sit principium omnium aliorum mo-
tuum. IX. De specie motus cor-
dis. X. De spiritu. XI. Quod spi-
ritus uite non motu. sed fit irra-
diacione uirtutis. XII. Quod spi-
ritus uite a principio conceptionis
inest

1193

P A T R I S T I C I

1194

inest feminibus permixtis. XIII. Quod anima a principio conceptionis inest feminibus permixtis. XIV. De formatione cordis et nutritiuarum parcium in embrione. XV. De formatione cerebri et Zoticarum uirtutum ordinatione in embrione. XVI. Quod anima mediante spiritu uite omnes cordis alias uirtutes in actum producit. Initium C. I. est: Organum uite et uegetabilitatis idem fere proximum est &c. Finis C. ult: Et hoc est quod a principio expleti laboris pollicebatur intencio. Subdam Cordis descriptionem ex C. IV. initio, de qua Anatomici nostri cognoscant. Cor membrum carneum est. solide substantie. figure contibidalis (a conto, hasta?) tribus cellulis distinctum. in medietae peitoris collocatum et in sinistrum declinans. basi insidens. cellula que sibi tantum (vel tamen) in basi collimitat conclusum. capite deorsum. radice superius conuersa. pellicule que dyaframati sit perpendicularis peitus et pulmonem per equalia diuidenti annexum dependet. Opusculum rarissimum est; ut enim Alexandrum Neckhamum vitiose scriptum Nequam norint et celebrent Tannerus, Fabricius, alii, Alexandrum tamen de Farewell nemo prodit, ne ipse quidem vastissimus Edw. Bernardi Mfs. Angliae Catalogus, cum tamen inter profunda felicitis Insulae ingenia aevo suo censerit posse videatur. Seculum illi XIII ex τὰ συγγεγραμμένα Neckhami aetate adsignamus. Coenobium de Farewell in Comitatu Staffordiae ex-

titisse, ex Codd. Mfs. Guil. Dugdali inter Bodlej. Catal. cit. p. 294. n. 6501. discimus. Quid, si ibi Monasticen professus fuerit?

VII. fol. 54. p. 2. Excerpta ex Basilio super Deut. et Augustino super Genesin de Anima. Initium: Basilius in quadam omelia super deut. circa finem. Attende tibi et intellige &c.

VIII. fol. 56. Ex Ambrosii Libris in Hexameron, de Paradiso et de Cain et Abel. Initium: Tantum miror opinionis assumpsisse homines &c.

IX. fol. 66. p. 2. Ex Augustini Confessionum, et de Trinitate Libris. Initium: Confessionum mearum libri XIII. et de malis et de bonis meis laudant &c.

X. fol. 89. Varia ex Dionysii dicta Hierarchia coelesti, Basilio M. Augustino, Chrysofomo, Anselmo. Initium: Omne datum &c. Omne quod est. duobus modis diuinam participat bonitatem &c.

XI. fol. 115. Varia ex Operibus Hugonis et Richardi de S. Victore. Initium: In primis itaque considerandum quod peccatorum obligatio consideratur circa duo &c.

XII. fol. 129. Varia rursus ex Augustino, Chrysofomo, Anselmo, Basilio, Gregorio M. Initium: Augustinus in principio. III. libri super gen. ad litteram loquitur &c.

XIII. fol. 136. Excerpta ex Job. Chrysofomi Homiliis in Evangelium Iohannis. Initium: Cris. in secunda omelia Iohannis super

1195

I C O D I C E S

1196

super illud. In principio erat uerbum &c. Vides propalacionem et potestatem uerborum multam &c. Siftit in iis: Sufficiebat enim uelle solum. et omnia sequebantur. Initium illud legitur nunc in *Homilia I. et Finis in Hom. LXXXVII.* seu ultima in impressis. Codex hac terminatur clausula: *Finit expo. cris. a burgundione iudice pisano translata. Anno domini. M. C. LXXIIII. Johannes iste Burgundio, de quo ad i. Mazzuchellium Scritt. d'Italia Vol. II. P. 3. p. 1768.* uersionem hanc suam *Romam ad Concilium Lateran. III. 1180.* adtulit, ut ad h. a. *Robertus Abb. Montis* in continuat. *Chronici Sigeberti* narrat. Vide *Fabricii Bibl. Graec. Vol. VII. p. 647.* Erravit itaque *Mansius* in edit. *Bibl. med. et inf. Lat.* ejusd. *Fabricii* illum ad *Sec. XIV.* repo-

nendo; maxime cum nunc e *Cod.* nostro ipsum factae translationis annum teneamus. Eam recognovit *Franciscus Accoltus* dictus *Arctinus*, si *Bibliothecam graecam* paullo ante cit. audias, sed si ejus uersionem *Cosmo Medici* inscriptam, *Romaeque in S. Eusebii Monasterio MCCCCLXX. f.* impressam cum nostro *Codice* conferas, ut feci, *Francisco* injuriam factam deprehendas, ejusque laborem longe a *Burgundionis* uersione abire. Itaque recte a *Mazzuchellio, Lairio* et aliis Interpretis ei nomen tribuitur.

Contenta in *Codice* siue *Catenam PP.* siue *Libros Sententiarum* dicas, lectiones aliquas meliores suppeditare possent, si cum *Operibus*, e quibus excerpta sunt, contenderentur. Subscripsit illis *Librarius*;

*Qui scripsit scribat semper cum domino uiuat:
Uiat et in celis uiricus nomine felix.*

Adjacet etiam nomen recentioris Possessoris *F. Johannis de Mantua Ordinis Fratrum Seruorum* scil. *B. V. M.*

CCCV. VI. H. 7.

645 Codex chartaceus lat. *Sec. XV.* Folior. 319. 4. non una manu perscriptus et olim *Wenceslai Rossii Prefforovii* Sacerd. *Bobemi* cum multis aliis haecenus indicatis haec seruat: *I. Locos communes Theologicos siue PP. Sententias ex Alphabeti serie in*

Capita CLXXIII. digestas, addito sub finem Elencho: De Abstinencia. De Acceptione Personarum. De Accidia. De Amore. De Angelis &c. Initium *C. I. Bernhardus.* *Magna abusto est, quod parcitas auaricia putatur &c.*

II. fol. 72. Contractus de sanctis. Id est, Sermones de Festis *SS.* per annum ab *Andrea* Apostolo usque ad *Catharinam* Virg. autore *Job. Contracto* siue *Kortz O. M.* ut dixi ad *Cod. DCCXXVI.* quem, si lubet, confer. Initium: *Ambulans ibesus —*

In